



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Die XIX. Julii. In Festo S. Vincentii à Paulo Confes.

[S.l.], [ca. 1770]

Lectio VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62816)

sed & in Italiam, Poloniam, Scotiam, Hyber-
niam, atque ad Barbaros, & Indos. Ipse verò,
vitâ functo Ludovico decimo tertio, cui mo-
rienti hortator adstitit, à Regina Anna Au-
striaca matre Ludovici decimi quarti in San-
ctius Concilium accitus, studiosissimè egit,
ut nonnisi digniores Ecclesiis, ac Monasteriis
præficerentur: civiles discordiæ, singularia
certamina, serpentes errores, quos simul sen-
sit, & exhorruit, amputarentur, debitâque
judiciis Apostolicis obedientia præstaretur
ab omnibus. *R.* Amavit eum &c.

Lectio VI.

Nullum fuit calamitatis genus, cui pater-
nè non occurrerit. Fideles sub Turca-
rum jugo gementes: infantes expositos: ju-
venes dyscolos: virgines periclitantes: mo-
niales dispersas: mulieres lapsas: ad trire-
mes damnatos: peregrinos infirmos: artifi-
ces invalidos: ipsosque mente captos, ac in-
numeros mendicos subsidiis, & hospitiiis,
etiamnum superstitibus excepit, ac piè fo-
vit. Lotharingiam, Campaniam, Picardiam,
aliâsque regiones peste, fame, bellôque Va-
stas prolixè refecit. Plurima ad perquiren-
dos & sublevandos miseros Sodalitia funda-
vit; inter quæ celebris Matronarum cœtus,
& latè diffusa sub nomine charitatis Puella-
rum Societas: Puellas quoque tum de Cru-
ce,

ce, tum de providentia, ac Sanctæ Genovefæ
ad fequioris sexûs educationem erigendas
curavit. Hæc inter, & alia gravissima negotia
Deo jugiter intentus, cunctis affabilis, ac sibi
semper constans, simplex, rectus, humilis, ab
honoribus, divitiis, ac deliciis semper ab-
horruit; auditus dicere: rem nullam sibi
placere, præter-quam in Christo Jesu, quem
in omnibus studebat imitari. Corporis de-
mum afflictatione, laboribus senioque attri-
tus, die vigesimâ septimâ Septembris anno
salutis supra millesimum sexcentesimo se-
xagesimo, ætatis suæ octogesimo quinto, Pa-
risius in domo Sancti Lazari, quæ caput est
Congregationis Missionis, placidè obdormi-
vit: quem virtutibus, meritis, ac miraculis
clarum Clemens duodecimus inter Sanctos
retulit, ipsius celebritati die decimâ nonâ
Mensis Julii quotannis assignata.

ꝛ. Iste homo &c.

IN III. NOCTURNO.

*Homil. S. Gregorij Papæ in Evangel. De-
signavit Dominus. ut in communi Evang.*

ꝛ. VII. Iste est &c.

ꝛ. VIII. Sint lumbi &c.

*Missæ. Justus ut palma florebit. Evang.
ut in Festo S. Ignatii 31. Julii.*

